



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XXVII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS XXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 5. & 6. lib. Deuteron. in quibus describitur decretum de Cultu Sabbathi, Reverentia filiorum erga parentes. De Legis observantia & frequenti meditatione ejusdem.

Considera I. **D**Eum non quôvis modô, sed tali, qualem Ipse præ- N.176.
scripserat v. 12. cit. capitis voluisse diem festum celebrari, dicens: *Observa diem festum, ut sanctifices illum, impendendô videlicet solis operibus sacris, prout hoc declarat B. Petrus Dam. lib. 4. Epist. 16. scribens: Christiane spirituale Sabbathum agere, est à laboriosa rerum terrenarum cupiditate quiescere, solis orationum ac lectio- num studiis insudare, secularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere, ad contemplanda cœlestia totâ cordis intentione vacare, carnis oblectamenta contemnere, de sola spe cœlestium spirituali jucunditate gaudere &c.* De Christo Joannes testatur cap. 7. quod in die Festo ascenderit: indicans per ascensionem istam, Christianos Salvatorem suum in celebrando Sabbatho imitatu- ros, ascendere debere, non quidem gressibûs pedum, sed actibûs virtutum. In die Sabbathi curavit Christus mulierem inclin- atam, erigendô illam. Hoc ipsum moraliter agat Christianus: animam suam, curis & negotiis sæcularibûs incurvatam ad contem- planda cœlestia elevet. Idem typicè mandabatur Exodi 16. ubi Judæis prohibuit Deus: Sabbathi die manna colligere, quod utique in- clinatô in terram corpore peragendum erat. Sicut etiam gravissimam dedit pœnam homo, ausus sacrâ die ad ligna se incurvare colligenda. Intravit Christus Sabbathô, ut manducaret panem. Intres & tu Eccle- siam, ut ibidem animæ tuæ pabulum, quod est Verbum Dei, studiose comedas, ne sacras conciones negligens conqueri debeas: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Psal. 101. Habet panis iste, ne fastidio sit, ipsius manna naturam, ut pulcherrimè probat Orige- nes Homil. 7. in Exod. scribens: si tu Verbum Dei totâ fide, & de- votio.

votione susceperis, fiet tibi ipsum Verbum, quæcunque desideras: v.g. si tribularis consolatur te, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium dicens: *Lætami in Domino, & exultate Iusti.* Si iracundus es, mitigat te dicens: *desine ab ira, & derelinque furorem.* Si in doloribus es, sanat te dicens: *Dominus sanat omnes languores tuos.* Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: *Dominus allevat de terra inopem.* Quid ergo mirandum: si tam prætiosum fastidians cibum, die Sabbathi à te sumendum, cum fastidientibus Israëlitis à Deo puniaris, nullum habens in tribulationibus solatium, nullam in paupertate stipem, nullam in fame escam?

Christus die Sabbathi sedens in Convivio, auditus est loqui de Convivio cœlesti, præpositâ illa Cœnæ Magnæ parabolâ, de humiliori loco semper eligendo, de invitandis pauperibus &c. quid quæso aliud per hæc dicta docere voluit Christianos: quam sacras dies transigendas esse piis de cœlo colloquiis, legendis spiritualibus libris, instruendis in fide rudibus, consolandis ægrotis & tristibus, adjuvandis pauperibus, confortandis in bono piis, reducendis ad frugem peccatoribus? examina te nunc Christiane: an Sabbathum celebres eò modò rituque, quem mandatum Dei, quem exemplum Christi tibi præscribit?

Porro: Dominus Deus hujus cap. v. 16. de reverentia parentibus exhibenda tractans, promittit filiis præmii locò longævam vitam; præmium sanè merito æquale. Æquissimum namque est, ut filiorum gratitudo, quam pro accepta à parentibus vita, illis exhibent, longiori ipsius vitæ, usu compensetur. Quare S. Bernard. tom. 2. Serm. 17. refert: Adolescentem 18, annorum de certo quodam crimine convictum, è patibulo suspensum, repentinâ canitie obrutum esse, quò prodigiò docuerit, quòd ille ad grandævam usque ætatem devenisset, si debitam parentibus non denegasset reverentiam. Videntur enim filii eâ lege hujus vitæ usuram accepisse à Deo & à parentibus, quâ lege Nobiles Feuda accipiunt à Regibus, quibus nemo diu fruatur, qui debitam Regibus recusaverit fidelitatem & reverentiam. Hoc ipsum suò testabatur exemplò regalis ille filius Absalon, qui depositò omnî filiali amore & respectu, contra parentem assumpsit arma, cum Coronâ & Sceptro privaturus, sed tribus lanceis transfossus vivere desuit ea in ætate, quæ optimos solet dare vitæ dies,

Consi-

Confidera 2. Quàm providè Hæbrai per Moysen admoneantur, N.177. de excessu in cibo & potu vitando, qui dum corpus ad vitia impellit, ex mente & anima solet expellere memoriam Dei, asserit ergo Textus v. 12. cit. capitis: *Cum comederis, & saturatus fueris, vide diligenter; ne obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti & de Domo seruitutis.* Unde enim venerat: homines Noëmi tempore tot minis ad meliorem vitam & veram pœnitentiam instigatos, omnem Dei memoriam exuisse, nisi ex intemperantia? de hac testatur S. Evangelium Lucae cap. 17. *Edebant & bibebant, similiter factum in diebus Loth.* Haud aliter continget extremis mundi temporibus, quibus tot terribilium signorum apparatus non erit sufficiens deterrendis peccatoribus, & ad frugem reducendis. Causa iterum in promptu est citatò Evangelii locò legenda: *Sicut factum est in diebus Noë, ita & in diebus filii hominis &c.* Aristoteles intemperantiæ deditos asinis & piscibus simillimos esse dicere consueverat, qui cor in ventre gerant. Sequitur inde: illos nullatenus posse mente in Deum & divinorum contemplationem assurgere. Quare Moyses Montem Sinai relinquens datas, à Deo Tabulas fregit, quas acceperat Populo offerendas, sciebat enim teste S. Hieron. *sermonem Dei audire non posse temulentos.* Prout pariter Abigail mulierum prudentissima noluit marito ebrio Sapientiæ Verba insonare 1. Reg. 25. Candela erecta multò ardet tempore, quia non plus ceræ assumit flamma, quàm cibi locò requirat; at vix inversa, cum nimio obruatur pabulo, extinguitur subito. Modò sanè non dispari loqui licet de homine, cujus ratio tamdiu manebit Deo divinisque rebus affixa, aptaque exercendis virtutibus audiendisque supernis inspirationibus, quamdiu venter ab immodico cessat ciborum usu. Hoc perpendens S. Greg. in c. 5. Job ait: *Nulla sunt convivia, ubi non mortalia committuntur peccata.* Testatur S. Script. Exodi cap. 32. Convivium nimis lautè habitum dedisse Idololatriæ causam Hæbrais. Splendidum illud epulum, 2. Reg. c. 13. in domo Absolomis celebratum, ansam præbuisse fratricidio. In convivio Herodis Joannem Baptistam decollatum, & allatum insontissimum caput in Diss. Math. 14. videntem Zambri Dominum suum Regem temulentum, occidisse eum. 3. Reg. 16. Noverat Job, quantum exulet à conviviis pietas & Dei memoria: hinc post epulas filiorum & filiarum suarum consurgens diluculo offerebat Holocausta pro singulis. Job, 1, v. 5. Et si frugali illà Cœnâ refecti Apostoli non valère

unâ horâ vigilare cum Christo, quid agent, qui lautissimîs frequenter assident mensis? qui comedisse se negant, nî comederint usque ad summam satietatem, qui in recessu à mensa murmurant, nî omnî ciborum genera repletos deferant ventres? vide Christiane Lector! an non & tu horum de numero unus?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 7. & 8. lib. Deuteron. in quibus describitur prohibita Societas cum Gentibus & imperata subversio Idolorum, promissa Prosperitas, repressa Israëlitarum arrogantia.

N.178. *Considera 1.* **I**sraëlitas Palæstinam quietè possessuros non fuisse iussos erigere altas Turres & Arces, Valla & Mœnia, congerere fortalitia, armentaria instruere: sed iussos esse: Gentium Aras subvertere, confringere Deorum statuas, succendere Lucos, sculptilia comburere &c. haud aliter Christianus Regnum gratiæ tranquillâ mente possessurus, debet mortificationis securi Aras & Lucos suorum vitiorum, passionum & affectuum excindere, subvertere Idolum proprii amoris &c. atque sicut Israëlitis præceptum fuerat, ad internecionem usque delere omnes hostes, quos habituri forent sibi obvios: ita oportet Christianum debellandis vitiis eò usque insistere, donec penitus supprimantur: hæ enim Hydram imitantur, cui decisa ocius solent succrescere capita; nî omnia radicibus evellantur. Habent pariter malignam lolii qualitatem, quod non funditus extirpatum, brevi tempore renascitur. Cæterum si cum timida Israëlitarum pube dixerit Christianus: *Plures sunt Gentes istæ, quàm ego: quomodo potero delere eas?* v. 17. cit. capitis. Opponentur ei Verba Dei, ibidem dicentis v. 21. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus, in medio tui est, Deus magnus & terribilis.* Imò si contingat: Christianum cum Israëlitis à talibus hostibus affligi, & profligari, tunc cogitet: Deum præparatum habere manna consolationis, quò ad novum bellum, & victoriam certò obtinendam roboretur. Sicut strenui milites, aliquam ab adversariis cladem in exercitu passi, impetû majori aciem restaurant, & repetunt novis copiis aucti; ita Christianus non nihil à tentationibus & passionibus victus, fortiori impetu contra Dæmonem & carnem decertat, novò auxiliò de cœlis missò adjutus. Verba igitur, quibus Moy-
ses

ses Israëlitas v. 7. accendit, tibi pariter dicta putes Christiane : Dominus Deus tuus (ajebat ille) introducet te in terram bonam, terram vivorum aquarumque & fontium &c. ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantiam perfrueris &c. Hæc ritè perpendens, certabis haud dubiè strenui militis instar : non enim sunt condignæ passionis ad futuram terram viventium, quæ tibi per Moysen hîc promittitur, æternum possidenda

Considera 2. Devotos homines, quando aurâ vanæ gloriæ afflantur, cum Israëlitis, à se benè gesta adscripturi suis justitiis & aequitati cordis v. 5. cap. 9. ut hanc tentationem vincant, obsequi debere Moisaicis monitis, quibus ait v. 7. cit. capit. *Memento, & ne obliviscaris, quoniam ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum &c.* in memoriam videlicet revocandò peccata plurima, per vitam contra Deum commissa. Hèrcle sicut pavonem in suo syrmate superbientem nil magis ad humilitatem revocat, quàm feedissimorum pedum aspectus: ita hominem de bonis operibus gloriantem, præteritorum scelerum memoria ad sui contemptum reducit. Noverat hoc Isaias, & hinc Jerosolymam his alloquitur verbis: *Descende, sede in pulvere filia Babylon, sede in terra. q. d. frustra gloriaris de sanctitate tua, frustra de Religionis zelo, de virtutum exercitio, si consideres; te in alteram Babylonem peccandò transiisse quondam.* Propheta regius quamprimùm mentis suæ oculos ad peccata olim à se perpetrata, deflexit, ocius exclamare auditus est Psal. 72. *Ad nihilum redactus sum.* Poterat Petrus gloriari, se Christi discipulum, quin imò discipulorum Principem creatum esse, sed per galli cantum infidelitatis admonitus, se rebellem servum profiteri coactus est. Poterat Apostolus Paulus se vas electionis & doctorem Gentium deprædicare, sed revocans in memoriam persecutiones Ecclesiæ à se illatas 1. Corinth 15. protestabatur: *Ego sum minimus Apostolorum; qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ita age Christiana anima, si quandoque vana gloria ob frequentiores virtutum actus te titillat, revoca in memoriam peccata, quæ priorî vitâ perpetrâsti, de quibus nondum certus es, an per veram sint deleta pœnitentiam, & hinc dicit cum humillimo Davide: *ad nihilum redactus sum &c.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. Deuteron. in quibus describitur Dilectio Dei erga Israëlitas, & eorum obligatio ad mutuam Dilectionem Dei. Repetitio Beneficiorum.

N. 180. *Considera* I. **Q**UOD Deus tantò amore feratur in homines, ut de eò testetur Moyses cap. 10. v. 15. Illum conglutinatum esse Israëlitis. Jeremias pariter profitetur nomine Dei c. 31. *In charitate perpetuà dilexi te, & attraxi te miserans tui.* Ubi singularem emphasin exprimit Verbum *attraxi*. Ut enim sol radiis suis vilissimos terræ vapores sibi attrahit, in illis pingens speciosissimam faciem suam, ita Deus in homine per infinitum suum amorem attracto, vultum Divinitatis suæ splendidissimum retinere facit. Nec hoc charitatis immensæ testimoniò satur, exclamat Proverb. 3. *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delicia mea, esse cum filiis hominum.* In quæ Verba S. Anton. Paduan. ait: *filius ludebat coram Patre, cum à discipulo tradebatur, cum ad columnam alligatus flagellabatur, cum spinis coronabatur, cum ab Herode illudebatur.* Ludebat, cum exiret bajulans sibi crucem &c. atque hinc priusquam totum è venis emitteret sanguinem, ingentem sentire cepit circa præcordia angustiam, ex ardentissimo amore pupillantem, asserens Lucæ 12. *Baptismò habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Sed quid dicis Salvator amoris plenissimè? nunquid sanguinem tam ubertim spargendum, comparas aquæ, quæ cum à natura frigeat, non poterit symbolum esse amoris tui calidissimi? sed capio tandem, quid intendas: nullus sanè sitibundus tam avidè bibit frigidam & fontanam, quàm avidè appetas, tuum amore hominum fundendi sanguinem, tam parum æstimans tormenta, etsi crudelissima, ut illas aquæ instar accipias, quibus sitim restringas. *Magno nihil magnum,* dicebat olim Seneca. Hoc ipsum Salvatori nostro quis jure meritissimò non applicet? qui magnò flagrans amore hominum, parva, imò minima reputaverat, quæ sufferenda erant tormenta, Moysen imitatus: qui cominùs videns Rubum, quem antea eminùs visum vocaverat *Visionem magnam*, talem non ultrà nominavit, hujus causam allegante Sylveria, dum scribit in Evang. l. 6. c. 22. *Quando Moyses vidit visio-*

visionem à longè, nesciebat, quid in illa involveretur, indeque ipsam magnam fateatur. At verò cum appropinquat: Altissimi Amoris divini effectus representantur ei, indeque visionem grandem non dicit; ubi enim amor inest, nihil magnum ac grande censetur. Omnes quatuor Evangelistæ describunt passionem Christi, hoc tamen cum discrimine: quòd Joannes cæteris tribus in hoc passu brevior sit; cum tamen solus egerit ocularem testem horridæ hujus Tragœdiæ. S. August. Tract. 18. in Joan. observat: Joannem in ultima cœna supra pectus Magistri sui permissum recumbere, profundius penetrâsse Arcana divini amoris, adeoque cæteris Evangelistis contractiùs descripsisse amplissimam vastitatem tormentorum Christi: quò enim acutiùs & intimiùs aliquis penetratur à divino amore, eò clariùs cognoscit, quòd amans Salvator per immensitatem sui amoris flocci æstimet, quidquid pro salute hominis patiendum: *Omnia gravia*, ait cit. Doctor, *& dura levia, & propè nihil facit amor*. Si ergò ò Christiane, Deus præ nimio amore est agglutinus tibi, nonne violentiam ei infers, quando cor tuum ad rerum terrenarum amorem transfers? si solis instar per radios amoris sui te abjectissimum terræ vaporem attrahit, ut sui speciosissimi vultus te gratiâ ditet: nonne lapis es, si inde non movearis ad mutuum amorem? si in deliciis habeat esse tecum, nonne in belluam transmutatus eris, si ejus consortium amorosum fugias? si denique maxima tormenta, amore tui sublata, æstimavit non nisi minima, obstinatus in Dei odio Dæmon eris, si eum non redames? redamabis autem, si mandatis Dei per Moysen datis v. 20. cit. cap. morem gesseris, non tantum adorandò Eum, sed *illi soli serviendò*. Immitteris ergò per mutuum amorem Horologium solare, cui lemma adscribitur: *Soli servio*. Amare Deum, est cor ejus vulnerare, sed vulnus hoc ab uno oculorum debet ortum esse. Cantic. 4.

Confidera 2. Deum Israelitis promittere terram longè diversam N. 181: à terra Ægypti, asserit enim v. 11. cap. 11. *Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi*. At quæres: quæ ergò inter terras istas differentia? respondeo: illam ex ipso S. textu colligi, dicente: terram Ægypti nullis cœlestibus pluviis, sed meris aquæ ductibus hortorum instar rigari: econtra terram Chanaan supernis imbribus sæcundam reddi. Parem sanè differentiam inter veras Spiritus consolationes, quas Deus fidelibus immittit, & inter fictas falsasque, quas amatoribus suis affundit Mundus, reperire est. Isti proh dolor!

lor! guſtus ſuos in turbidis ſenſualium voluptatum undis, de induſtria quæſitis, inveniunt teſte Jerem. c. 2. v. 13. *Foderunt ſibi cisternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* item v. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Servi verò Dei & devotæ animæ, quibus terra cœleſtis Chanaan promiſſa eſt, de cœlo exſpectant pluvias, ſtabiles namque purasque delicias. Quare de hac eorum felicitate ſollicita Mater Eccleſia, in Miſſæ Sacrificio eos quotidie animat; *Surſum corda!* addens publicam orationem à Sacerdotibus recitandam, hiſ expreſſam verbis: *Da populis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis: ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* Hanc orationem ò Chriſtiane! quam unâ tantum die Eccleſia præſcripſit cantandam, tu quotidie pluriès ore & corde repetas; atque à Mundo, carne & Diabolo ad terram Ægypti, quæ lutofis voluptatum aquis alitur, vocatus, reſponde cum regio Vate Pſal 118. *Narraverunt mihi iniqui ſabulationes.* Habes certum à Deo promiſſum v. 11. hujus cap. legendum: *Si obedieris mandatis ejus, ut diligas Dominum Deum tuum, & ſervias ei in toto corde &c.* Te fore continuè ſupernarum deliciarum imbibùs recreandum; adeò, ut cum Propheta ſis exclamaturus: *Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine, quam abſcondiſti timen- tibus te.*

Doctrina 4.


Deſumpta ex cap. 12. & 13. lib. Deuteron. in quibus deſcribuntur promiſſa & mina ad obſervantiam legis compulſiva. Lex de tollendis Idolis. Præceptum de eade Pſeudo-Propheta, urbis Idololatæ excidio, vetitoque attu immundorum animalium.

N. 182. *Conſidera 1.* **Q**UAM ſalutarem Doctrinam Deus cap. 12. v. 22. ſuggerat illis, qui arctiori vinculo ad obediendum Superioribus, liberè obſignârunt ſe; aſſerit enim: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, ne addas quidquam, nec minuas &c.* Iſtos homines ita ſtudere oportet obedientiæ, ut plura non faciant, quàm ſint juſti, etſi plus mereri quandoque putent, faciendò plura. Vehebatur olim Arca curru novò cum Pompa ſolemni: ubi factum eſt, boves eam ducentes recalcitrâſſe; cumque illa in lapſum propenderet, accurrit oza, zelò non malò inſtigatus, extenſaque manu ſervavit illaſam à ruina
2. Reg.

2. Reg. Sed hem! vix hoc egerat: Iratus Dominus percussit eum, qui mortuus est juxta Arcam. Causam hujus inexpectati eventus exponit Salvianus lib. 5. de Provid. dicens: Dum sustinebat Arcam extinctus est Oza, ille Dei Levites, non quia (ut videtur ad speciem) contumaci aliquid mente commiserit, sed ipso officio inofficiosus fuit, qui injussa presumpsit. Quæres: quò venerit: Christum non etiam pro salute Angelorum præciosum fudisse sanguinem, ut inde Misericordiam suam magis redderet spectabilem, & faceret ampliorem? cur pro solis hominibus mortuus est, qui unâ pariter guttulâ poterat æquè prodesse Angelis? respondet Tertul. lib. de carne Christi c. 14. Nullum mandatum de salute Angelorum accepit Christus à Patre. Quod Pater neque promisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. Ita age Christiane, si subditum agis: pia quandoque opera omitte, dum abest superioris imperium vel consensus. Nimis frequenter fallimur arbitrio nostro ducti, & seducti. Requiritur à te obedientia, sed talis, quæ cæca sit. At cæca non est, quæ propriam voluntatem pro duce habet. Homo ille Evangelicus dicitur sæpè in ignem, sæpè in aquam cecidisse, non ea de causa, quòd caruerit visu, sed quòd secutus sit spiritum se obsidentem: ita sanè frequenter continget, te impingere in rebus ex objecto bonis, eò quòd sequaris imperum spiritus privati & propriæ voluntatis. Quot exempla numerantur eorum, qui indiscretò rigore sibi nocimento fuere? quare tunc ages optimè, plurimumque mereberis: quando tuam voluntatem instar aquæ effuderis ad usus imperatos juxta imperium Dei, & confregis Idolum proprii judicii. Sic transibis plenus meritis Jordanem hujus miserrimæ vitæ, habitaturus cum Israëlitis in terra, quam Deus daturus est hominibus, legi suæ exactè obedientibus, ut ibidem cum Israëlitis requiescant à cunctis hostibus.

Considera 2. Mundum se gerere instar falsi Prophetæ & Somnia- N. 183.
toris, qui pios Christicolos fictis quibusdam portentis nititur à veri Dei Cultu, & recto virtutum tramite ad Vanitates & Pompas Dæmonis adorandas avertere, & ad patranda scelera inducere. Quare non fecit ac olim Moyses præceperat Israëlitis cap. 13. v. 5. celerè resistentiâ interficiendus est. Interficiendus inquam est, non tantum affligendus: prout ipse Deus imperat: non affligi aut in carcere compingi, sed penitus extingui somniatorem, perpendens: quantum subfit periculum fidelibus, tali somniatore vivere permissò; etsi plagis & verberibus tam malè habeatur, ut vix spirare ultra valeat. Sic ergò
te

te geras erga Mundum Christiane, ut cum Paulo testari queas: *Mibi Mundus crucifixus est.* ad Galat. 6. Serpentem hoc in passu imitatur mundus, cui si tantummodo caput integrum relinquis, ceteroquin pellas & repellas, periculum non evasisti, sed augebitur ejus furor contra te, dum sæpè repulsus magis exasperatur. Post sopitum in domo incendium malè sibi cavet, qui fumum è trabibus surgentem videns, non penitèns extinguit latentes igniculos; novo enim incendio & pejori forsan viam non præcludit. Regius Propheta, ut de se testatur, quòd ope divinà triumphaverit de somniatore mundo, cantat Psal. 29. *Conscidisti saccum meum,* habitum videlicet, quò mundus ipsum induerat, ut deceptum ad se raperet, non tantum exiit, aut seposuit; sed omne periculum evasurus, conscidit in frustra. Non solum habitatores urbis illius, quæ ad Idolorum Cultum perducere nitebatur Hebræos, jubet Deus gladiò interfici, sed eorum quoque suppellectilem succendi, & omnia in cinerem redacta sempiterno tumultu involvi v. 16. & 17. cit. capitis. Ita moraliter loquendò geras te erga mundum, aut ea, quæ mundi sunt, & à mundo taliter attactò nunquam redderis immundus.



FASCICULUS XXVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Deuteron. in quibus describitur lex de remissione anni septimi & cura Pauperum, de Festis Azimorum & Tabernaculorum &c.

N. 184.

Considera I.

QUàm fusè & impensè Deus Hebræis curam pauperum cap. 15. commendat. Sed etiam adhuc magis commendatam reddidit Christianis, quando per Unigenitum suum formam pauperis indutum Matth. 5. indicavit illis: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*